

## **Dissertatio medica de insomniis ... / [Theodor Renatus Rommel].**

### **Contributors**

Rommel, Theodor Renatus, 1669-  
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.  
Universität Jena.

### **Publication/Creation**

Jenae : Litteris Krebsianis, [1690]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/r7haa478>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



I. N. 7.

DISSERTATIO MEDICA  
DE

## INSOMNIIS.

P R Æ S I D E

PRO-RECTORE MAGNIFICO  
GEORGIO WOLFFGANGO  
WEDELIO,Med. Doctore, Theoretices Professore Or-  
dinario, Consiliario & Archiatro Ducali Saxonico,  
*Præceptore & Patrono summo perè  
colendo,*

Publicæ ventilationi exposita

à

THEODORO RENATO ROMMELIO,  
Ulmenfi,

IN AUDITORIO MEDICORUM,

*Horis antemeridianis consuetis,*

ANNO M DC XC. Ad d. Decembr.

J E N Æ

LITTERIS KREBSIANIS.



U L M E N S I S

*Illustri ac Gratosissimo*

COLLEGIO MEDICO,

Decano, Senioribus, Adfessoribus, cæterisque Doctoribus  
& Practicis Præclarissimis,  
V I R I S

*Nobilissimis, Amplissimis, Excellentissimis, atq; Experientissimis,*

DN. JOH. GEORGIO GOCKELIO, Phil. & Med. Doct. Physico Prima  
Decano spectabilissimo, Seni, Octuagenario jamdudum majori, optimo, summequ  
nerando;

DN. JOH. CASPARO BEUTELIO, Med. D. diversorum Principum, Co  
tum ac Dynastarum, Archiatro uti felicissimo, ita longe lateque famigeratissimo, flo  
tissimi & celeberrimi Gymnasii Ulmenfis Scholarchæ gravissimo;

DN. ALPHONSO KOHNIO, Med. D. & Practico } Physicis ordinariis  
undique celeberrimo;

DN. PETRO ROMMELIO, Philos & Med. D. Parenti } Gymnasii Patrii Visita  
optimos; bus meritissimis;

DN. JOH. ANDREÆ GERHARDO, Med. D. Collegii Med. Membro.  
Physico p. t. Geislingensi accuratissimo;

DN. THEODORO BOXBARTERO, Med. D. & Physico Reipublicæ Ordina  
Felicissimo;

DN. EBERHARDO GOCKELIO, Med. D. Physico Xenodochiali, & Pra  
co Experientissimo, Acad. Curios.

DN. MELCHIORI FRICCIO, Med. D. Reipublicæ Poliatro ordinario p  
clarissimo;

DN. JOH. ULRICO BIXIO, Med. Doctorando, Physico Ord. dignissimo

DN. JOH. FRANCO, Med. D. & Practico felicissimo;

DN. JOH. BARTHOLOMÆO CRAMERO, Med. D. Colleg. Med. Adfessor  
Physico Ordinario meritissimo;

*Nec non*

V I R I S

*Spectatissimis, atq; in arte Pharmaceuticâ peritissimis,*

DN. WOLFFGANGO WILHELMO Mayern/ } Pharmacopœis Reipublicæ

DN. JOHAN. WOLFFGANGO Gebhart/ } ratis, integerrimis, & dexterrimis

DN. HIERONYMO CHRISTIANI,

DN. JOHANNI Esser/ Officinæ Wittigianæ Provisorii & Directori solerti  
mo ac fidelissimo;

*Dominis, Patronis ac Fautoribus, Parenti item, devotâ mente, p  
petuoq; pio & filiali venerationis cultu singulariter devener  
dis ac colendis, cum summo omnium felicitatum voto, hoc sua  
rum suorum specimen Academicum, eâ quâ par est observan  
offert & dedicat*





## PRÆFATIO.

**L**evissima & communissima res est insomnium, ut vix operæ pretium videatur primo intuitu occupari circa somnorinas, ut cum *Varrone* loquamur, imagines; quin in proverbium abiit, ut somnia dicamus, quæ fabulam & rem nihili sapiunt.

Ast in minimis & proletariis maxima sæpe gloria est philosophari, quippe ob vilitatem neglectis, dum rarioribus magis operamur, quæ si eruantur nihilominus, ut decet, profundam ostendunt sapientiæ materiam.

Sit levissima res insomnium, sæpenumerò & maximi est momenti, imò in levitate suâ & vilipendio summa condens arcana. Non evagabimur latius in horum recensione, quæ nostri sunt fori, agamus strenuè. Penes medicos enim somniorum hoc artificium eximiæ est delectationis & usus.

Cum enim reliqua omnia fileant tunc, tenebræ ambientem aerem occupent, nec objecta moveant sensus, sed hi quiescant & ferientur, sciscitari & ruminare nocturna animæ studia, quid agat, quid meditetur, consultum est.

Quare, ad insomniorum philosophiam applicantes animum, horis, seu momentis potius, subsecivis hoc quicquid est opellæ congeessimus, Deum precati, ut omnia feliciter eveniant!



## CAPUT I.

De

*Insomniorum physiologia.*

**I**nsomnia dum dicuntur, statim elucet illa esse, quæ in somnis accidunt ac fiunt, Græcis ad verbum ἐν ὄνειδος, quæ & somnia aliàs audiunt, propriâ significatione, & translate hinc ludicra futiliaque notant, quasi dicas insomnia simillima. Et accidunt quidem ipsi dormienti, inhaerentia & connexa somno, sed non uno vel modo, vel causâ.

Hinc *Macrobius l.1. comm. in somn. Scip. c.3.* quinque genera somniorum facit, ὄνειδος, ὄραμα, ἡμετέριον, ἐνύπνιον, & φάντασμα, ita quidem ut tria priora ad divinationem faciant, duo posteriora non item. Sufficiat nobis latius sumpta singula ista minus differre, & considerationi medicæ subjici posse, inprimis, cum hodiè rarius paulò visiones & oraculis similia effata in somnis contingant, & quæ huc referri queunt, nihilominus sub somniorum classe militent & comprehendantur. Nec inter somnium & insomnium distinctionem, quod sciam, admittunt Grammaticorum filii, unde & medicis præstat alio pacto quàm hoc distinguere eadem, secus ac *Sylvius facit l.2. prax. c.25. t. 25. p.m. 459.*

Visamus potius, quidnam sint insomnia. DEFINI-  
RI possunt, quod sint conceptus dormientium, ab ideis phantasie undecunque repræsentatis, variè ludentibus.

Conceptus sunt, tanquam species cogitationis. Quod enim cogitatio in vigilantibus, id insomnia sunt dormientibus. Conceptus obversantes animo, & exhibiti interius; conceptus personarum, rerum, verborum, locorum, diversissimi generis & latissimè patentes. Hi itaque GENERIS locum obtinent & rationem formalem  
absol-



absolvunt somniorum; nisi enim adsint vel obveniant conceptus tales in somno, somnium ipsum nullum adest.

DIFFERENTIAM specificam largitur status & conditio, sunt enim conceptus dormientium, alii longè ab iis, qui vigilantibus obveniunt & formantur ab objectis extrinsecis, per sensuum portas ingressis. Enimverò contradictio in adjecto est, vigilantem somniare, in proprio quidem sensu. In vigilantibus enim liberi spiritus sensuum organis adsunt, & stationem suam dum obeunt species sensibiles obvias recipiunt, has ipsas ad animæ sacrarium sub variis simulachris inferunt, sicque commercium ejusdem cum extraneis stabiliunt ac continuant perpetuo; secus fit in dormientibus, & quasi talibus, seu in somnum latis. Et leviculo enim somno quando adhuc vigilare nobis videmur, somniamus.

In somno contra ea occluduntur valvæ, & fiunt quædam sensuum induciæ, immerguntur velut lymphæ spiritus, obnubilantur & irretiuntur, pori prius patuli, per quos tanquam tubulos totidem lucidos ferebantur liberimè & ocysimè spiritus, portitores animæ, subsident, & occluduntur, intra naturalem quidem sphæram. Retrocedunt iidem & concentrantur, introrsum vocati quoad maximam partem, torporemque & *νάρκησιν* concipiunt, ut placidâ quiete demulceatur corpus universum.

Et quidem invitant somnum tum ipsæ vigiliæ aliquandiu productæ, & consequenter fatigati à labore obito in omnibus membris spiritus, unde lassitudo quædam inducitur, indigi otii & refectionis testis; tum materiale principium geminum, idem cum alimonix elementis, aqueo-sulphureum, à suavibus roribus ciborum & assumptorum in genere oriundum. Lympha sulphuris blandi est vehiculum, quod intimè resolutum, dulcedine gratâ partes afficiens, cum sanguine arterioso diditum, latius in cerebro, humidi præcipuo fonte, expanditur, & aditum promptè inveniens non tam obstructionem morbosam



infert, quàm conopeum phosphoro animali obducit, ut non tam promptè & perfectè radiet.

Quiescit ergò corpus & dormit, anima verò interim perpetuò & scintillationem suam luculentam continuat, & cogitat, quamvis id eandem facere non æquè & promiscuè persentiscamus. Cum enim anima mediantibus spiritibus corpus regat, & per hos cum eodem communicet, spiritus verò mediantibus ideis sensus omnes & cognitionem ac cogitationem perficiant, necessum est pausam quandam intercedere in somno, quamdiu is duraverit.

Liceat nobis somnia medium quid statuere inter somnum & vigilias, somnia quidem *ἐν αργῇ*, *conspicua* & *καὶ ἐξ ὁχλῶν* talia, quæ dormientibus nobis obveniunt, & obvenisse novimus seu meminimus, unde nec omni tempore somni occurrunt eadem. Non negandum est, vigilare & cogitare semper animam, quo magis verò occupati, vel ligati potius, sunt spiritus, eò minus conscii actorum somniamus, seu, quæ nobis in somno obtigerint, reminiscimur. Notus est pavor & inhorrescentia sub primum somnum, tum sanis alioqui accidens, tum hypochondriacis imprimis, & qui teneriorem nervosi generis ac spirituum habent texturam. Vix inito somno toto sæpe inhorrescimus & concutimur corpore, neque tamen facile id sentimus prius, quàm hoc ipso motu singulari expergefacti. Cæteroqui somno illo primo sepulti profundissimè indormiunt, ægrius excitabiles. Quæ ut magis pateant, & reliqua huc arcessenda, quæ ad somniorum naturam exhauriendam faciunt.

SUBJECTUM ADÆQUATUM infomniorum, constituunt animalia dormientia; animalia quidem, utpote sensibus & phantasiâ instructa: dormientia verò, quia somnus affectio est sensuum externorum, & cessantibus hisce non tamen feriantur penitus interni. Valet id potissimum de animalibus perfectis, somniare enim non



non solum homines, sed etiam equos, & canes & boves, & omne genus quadrupedum palam est, elogio *Philosophi l. 4. Hist. Anim. c. 10.* δηλοῖται ὅτι κύνες τῷ ὑλαγμῷ, *decla- rant verò id canes suo latratu, quem in dormientibus non ra- rò observamus.*

Quod verò infantes recens nati ad annum usque quartum vel quintum somnia minus pati dicuntur, fuisse item toto vitæ tempore minus somnia expertos, cum gra- no salis & respectu aliorum magis intelligendum est. Manifestò enim videmus infantes tenellos adhuc in so- mnis modò suaviter in blandum risum solvi, modò in ploratus, prout somnium vel lætius, vel tristius fuerit. Cæteroqui ἐνυπνιάζει τῶν ζώων μάλιστα ἄνθρωπος, *homo ma- ximè animalium somniat*, partim ob diversitatem objecto- rum, circa quæ occupatur præ aliis omnibus, partim ob excellentiam cognitionis, & cogitationis, quæ sola ho- mini propria est.

SUBJECTUM PRINCIPALE est phantasia, seu illa animæ potentia, quæ in conceptibus formandis ex objectis quibuslibet advigilat, & intellectui substrata est. Hinc τὸ ἐνυπνιον φάντασμα πᾶσι εἶναι, *insomnium phan- tasma aliquod esse videri confirmat idem l. de insomn. c. 1.* Sen- suum internorum hæc est primus, primus ordine & digni- tate, licet vulgo id tribuatur sensui communi, seu distin- ctivo.

Duplici verò nomine phantasia somniorum est sub- jectum, uno, quod sustineat ac formet ideas, & median- tibus ideis conceptus; altero, quod sensibus externis o- mnibus cessantibus, neque enim sentimus in somno nobis relictis, & communem cessare oporteat. Atque hæc ra- tio potissima est lusu variorum & absurditatum ποικι- λομόρφων in insomniis, quod distinctio idearum ordina- ria vacet, nec ideas saltim examusim comitetur, unde facilis fit confusio.

CAUSA IMMEDIATA & PROXIMA est idea phan-



phantasiæ representata. Hâc enim positâ ponitur infomnium, ablatâ aufertur. Per ideam intelligimus simulachra rerum, & picturas expressas, quæ simulac offeruntur, formant conceptum. Hinc cum phantasia sit κίνησις, *motio*, secundum operationem sensus proveniens, optimè idearum notione id & concipimus & exprimimus.

CAUSA enim MEDIATA proximior est OBJECTUM, motum imprimens & ideam offerens & causans. Quod enim aliàs rectissimè dicitur, objecta movent sensus, illud etiam maximè valet de infomniorum hoc negotio. Id ut melius pateat, notabile est (1) objectum aliud esse *externum*, aliud *internum*. Objecta somniorum causa propriè & propinquius sunt interna, externa non nisi antecedenter, remotius, & mediatè. Quæ enim extrinsecus obveniunt, & ut sunt sentiuntur, non sunt in rigore philosophico somnium propriè dictum & absolutè, sed saltim secundum quid, ipso præeunte *Philosopho*, qui accuratissimè de hoc scribit à nobis in hoc negotio ducis loco cum *Hippocrate* merito habitus. Sæpe enim fit, ut in somno videamus, audiamus, odoremur, tangamus, gustemus obvia, & expergefacti ea prout obvenere deprehendamus, v. g. lucem oppositam, cantum galli, & sic porro. Datur enim & hîc latitudo insignis pro somni diversitate, profundius vel levius detentis & ligatis sensibus.

Interius itaque objecta, somniorum materia, alia (2) sunt *actu*, alia *potentiâ* talia, utraque non uno modo sumpta iterum. Illa dici possunt partim quæ in actu secundo seu exercito occurrunt, & infomnia constituunt, partim quæ reposita in memoriâ, & ipsi menti jam satis cognita sunt, semel jam concepta, & sub hâc vel illâ ideâ comprehensa. Hæc, vi contrariorum, quæ occurrere possunt per se, & reliquis velut misceri vel confundi; verbo, quæ ex jam cognitis, notis & repositis, novâ speculatione enasci possunt. Non aliter ac aliàs à sensibus susceptas ideas non solùm concipit, sed & aliàs inde format phantasia.

Non



Non mī ius (3) objecta hæc sunt vel *præsentia*, vel *absentia*; *absentia* vel *præterita*, vel *futura*. Utut enim præsentia sint quoad ideam exhibita, & absentia tanquam præsentia dicuntur tamen talia tum ratione motus, quem sensui inferunt, tum ratione ipsius temporis. Ita præsentia sunt, quæ actu afficiunt, enata ex præsentī causâ & objecto; reliqua aliunde, de quo mox seorsim.

Sunt porro (4) objecta alia *vera*, alia *falsa*. Quod de conceptibus notum est formatis, id quoque valet de objectis ipsis. Vera sunt, quæ prout sunt offeruntur; falsa, quæ aliâ facie, vel quæ concipiuntur saltim. Vera sunt materialia magis, falsa suo sensu minus talia. Hinc duplici potissimum nomine decipiunt infomnia, non solum similitudine, quam præ se ferunt objecta, & inde formatæ ideæ; sed etiam, ob iudicium infirmius, spiritusq; ligatos. Vera item sunt, quæ cum re conveniunt, ut quale objectum, talis sit idea, & vice versâ, falsa: quæ secus, & quæ finguntur à phantasiâ.

Hinc (5) objecta alia sunt *nota*, alia *ignota* & planè *nova*; alia *confusa*, alia *distincta*; alia *agnita* & dijudicata, alia minus talia; alia *retenta* & referri sic prompta, alia *oblivioni commissa*: quæ pleraque cum somniis ipsis reciprocant. Et quidem singula hæc speculatur phantasia, modò sola quasi, modò mente præsidente, quam in rem ex vasto campo quædam saltim potiora huc facientia feligemus.

Enimverò in somno cessant sensus & per horum commercium nulla offeruntur objecta, ut diximus, extranea, unde corpus à sensu & motu voluntario quiescit, & placidè recubat. Anima verò perpetuò vigilans, & tempore vigiliarum ὅτι πολλὰ μερίζομένη, & γίνεται αὐτὴ ἐαυτῆς, *super plura divisa*, non sua ipsius est, nec ejusdem hinc *divoia*. Sed uti unda undam tradit, & in vertiginem repetitâ allisione rapiuntur fluctus, pluresque efformantur figuræ, cum quietis tempore alia sit & distincta magis; ita quoque idem applicare licet ad somnum & vigilias. In somno sibi relicta est magis anima, secum



habitat; adeoque non vacat, semper enim cogitat, ut in vigiliis pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Hinc duo occurrunt in insomniis: *Φάντασμα*, seu ipsa *idea* diversa, & *διδόικα*, *judicium*, modò illo, modò hoc prædominante, prout ligati sunt spiritus. Si enim attendamus vel memoriâ repetamus insomnia, quæ experimur quotidie; reverà etiam tunc *ἐννοῶμεν* intelligimus quid aliud præter phantasmata & ipsa somnia, unde & sæpe corrigimus nosmet ipsos, & novimus nos somnare, & falli, quod, cum aliis circa insomnia occurrentibus, non leve mentis immortalis argumentum est.

Et simile quid toto die occurrit etiam in vigilantibus, quando lingua, ut dici solet, præcurrit mentem, unde nos deviare intelligimus. Accidit idem quoque in deliriis, (quorum mechanica non parum illustrat insomnia,) si quidem in ipsâ *ᾤσθησις*, seu aberratione mentis, respicimus & errare nos cognoscimus. Imò & in aliis sensibus sicubi ob objectorum communium diversitatem error quidam obtingit, à ratione corrigitur. Referre huc etiam licet, feriâ illâ & tacitâ nocturnâ cogitatione illa sæpe inveniri, illa in memoriam revocari, quæ interdum neutiquâ poteramus assequi, quæ exempla passim extant, & apud *Heerium* consignata legi merentur *obs. 2. p. 41. f.* unde & paradoxum illud fuit, non omne somnium esse somnium.

Posito hoc, liquere potest facile, undenam obveniunt objecta phantasiæ, in exclusionem tam solenni extraneorum, in somno puta, quæ vigilantibus plenis velis occurrant affatim. Tria verò potissimum offendimus, quæ laudare par est. *Primum* objectum, si certo ordine illa complectamur, constituit *ὑπόλειμμα*, *vestigium* & reliquæ sensibus actu perceptorum. Sicuti enim sensibus ipsis externis objectorum eminentiorum species sensiles, non statim, simul ac usurpare eadem desistimus, disparent & effluunt, sed lucis radii aliquandiu adhuc oculos exercent, licet aversos, & obversantur, ut soni quoque auribus hausti; ita longè magis id valet in sensibus inter-



nis. Retinentur ideæ impressæ & in somno hinc occurrunt, inprimis si sollicitâ magis mente eas agitemus, & iisdem indormiamus. Et talia insomnia sunt frequentissima, quæ per diem acta, visa, audita, cogitata, & sic porro, offerunt. Repetuntur & repræsentantur species hæc conceptibiles in somno velut in speculo, remotis licet objectis illis, quæ nihilominus vestigia sua reliquere, & ut præsentia adhuc undulant, phantasiæ & menti inprimis obvia, indeque formantur ideæ.

*Alterum* objecti vicem obiens sunt cogitata mentis, ipsis sensualibus prioribus, adhuc in recenti memoriâ versantibus, contradistincta, vel alia saltim, seu profundioris indaginis, seu exquisitæ magis meditationis, varia & ipsa pro individuorum & inclinationum naturalium modulo. Patent hæc latissimè, ut vastus est cogitationum, & rerum, de quibus instituuntur, campus. Cum enim corpus quiescit, ut loquamur cum *Coo*, anima in motu est, & corporis partes perreptans domum suam gubernat, & omnes corporis actiones ipsa perficit. Corpus enim dormiens non sentit, ipsa verò vigilans cognoscit, ac visibilia videt, & audibilia audit, vadit, tangit, tristatur, animadvertit. Breviter, quæcunque corporis aut animæ munia, ea omnia anima ipsa in somno obit.

Hinc duæ portæ statuuntur somniorum apud Poetarum seniore principem *odyss. l. 19.* cornea & eburnea, quarum illa vera dimittit, eo quod cornea perspicuitas sit juncta magis: hæc spe frustrantia, quod blandiantur quidem primâ fronte, in recessu verò obscura sint & fallacia. Et sanè duæ hæ portæ, sensualis & mentalis, sufficere possunt in genere pro objectis somniorum explicandis, & ideis inde formatis. Non negandum tamen est, contra mentem textus, per corneam intelligi à quibusdam species sensiles, per corneam oculi tunicam seu pupillam ingressas, par ratio est aliorum sensuum, quamvis res ipsa sit verissima. Et prioris generis insomnia brutis saltim competunt, & cum ipsis homini sunt communia, poste-



rioris autem soli homini propria, ut sint etiam animæ quædam in somno soliloquia.

Ast si specialius pensitemus insomniorum momenta, concinnius videtur addendum *tertium*, ex ipsis corporeis objectis, in corpore reperiundis, tempore somni, phantasiæ & menti oblati ideis, seu conformibus & homogeneis, planè, seu similibus & affinibus. Non solum enim sensus universalis, tactus, etiam somni tempore, alicubi in corpore exprimi potest, ab objecto improporcionado, vel eminente, indeque idea formari; sed etiam, non grossiori modo hoc contingente, subtilius hîc illic emergens aliquod, mentis & phantasiæ acumen non fugiens, adeoque materiam insomnio largiens. Et sic ad ipsorum insomniorum Pathologiam deducimur.

## CAPUT II.

De

### *Insomniorum Pathologia.*

**C**irca pathologiam insomniorum dicta hætenus supponimus, ita tamen ut *αιτιολογίαν* hanc speciatim ex parte & diverso respectu communem etiam statui naturali statuere debeamus.

Possumus huc commodè applicare in medicorum scholis aliàs usitatò in CAUSÆ MEDIATÆ censum venientia, & ordinariè etiam hîc locum invenientia, ut HUMORES & VAPORES, & extraordinariè ac præternaturaliter aliquando ipsa quoque corpora solida, omnium evidentissimè objectum materiale insomnii ante oculos ponentia.

Per humores intelligimus fluida vitalia corporis nostri, humores alieno termino contineri solitos, cum alimentarios, tum excrementitios. Ex alimentariis ad somniorum fabricam confert sanguis & serum, indeque producti alii, tam modum horum dicentes & ad alimentarios



riores relati, quàm excrementitii, bilis, pituita, melancholia, semen, urina, alvi excrementa. Hinc duo potissimum postulata huc quadrant & tangenda sunt: 1. Posito objecto in corpore, quod phantasiâ ad formandas ideas movere potest, ponuntur insomnia. 2. Quales in corpore humores, talia etiam insomnia. Quales enim humores, tales spiritus, quales spiritus, talia insomnia.

Omniùm accuratissimè hoc exponit *Hippocrates*, quamvis solitâ brevitate. Causant enim insomnia humores quantitate, qualitate & motu peccantes. Hinc laudatur eidem *πλησμονή copia*, & *ὑπερβολή τρεφῆς, excessus alimenti*, & è contrario *κένωσις defectus*, quatenus ab utrisq; extremis occasio objecti idealis enascitur. Pro causâ adducitur ulterius in primis *ἀπόκρσις, secretio, disgregatio*, humorum, quæ quid sit optimè *Martianus in comm. & B. Rolfincius Ord. & Meth. Comment. l. 2. f. 3. c. 28.* exponit, & quidem *ἀπόκρσις ἐναντία τῇ περιόδῳ, secretio contraria circulationi*. Hinc fluit illud effatum: quodcunque confluit in corpore humoris vel vaporis quoddam prædominium, ut circulo spirituum, lymphæ vel sanguinis inde intente- tur aliqua remora, major vel minor, adhuc tamen ferè superabilis, inde in somno enascitur somnium, ejusque materia, idque diversimodè pro diversitate humoris varians, prout hæc ipsa est biliosa, serosa, phlegmatica. Sic & confert huc *ἐπίστασις τῆς αἱματός, stasio sanguinis in genere*, five à ficcitate ac defectu lymphæ, five aliunde oriatur & arcessenda sit.

Illustrari hæc possunt mechanicâ geminâ, à *Philosopho* adductâ, nubium, & ranæ ex subere confectæ. Nubes exhibent inter alia ideam vaporum somnificorum. Sicuti enim illæ earumq; portiones pro positurâ & motione diversâ repræsentant modò montes, modò homines, statuas & figuras alias varias, mille modis variantes; ita etiam *ἀναστροφάσεις*, quæ somni materiam, hoc ipso etiam insomni- orum fabricam constituunt. Rana ex subere formata,



additione salis demergitur, sale soluto, per aquam poris se insinuantem, revertitur sursum & supernatat. Ad eundem modum particulæ objectæ phantasiæ illam rem in insomnium vocant, ad cujus similitudinem magis videntur accommodatæ.

Spectant huc plurimæ ex opticis apparentes exhibitiones, quæ pro umbræ & lucis variatione egregiè ludunt. Imò & literarum ipsarum consideratio huc facit. Literæ ideas suggerunt rerum, prout diversâ positurâ in syllabas, & syllabæ in voces, voces in integrum sensum & textum dirigunt visum & phantasiam. Ut literis & vocibus res exprimimus, tanquam certis rerum ideis: ita etiam ideæ non solum ex obviis & retentis occurrunt, sed etiam formantur & enascuntur ex objectis, quocumque demum modo concipiantur. Assimilantur verò certis aliis & notis, cum methodo naturali sit convenientissimum, ignota per notiora, similia similibus exprimere. Hinc etiam fundamentum præcipuum omnis *ὁμιλίας* in deprehensâ ac erutâ hâc similitudine radicatur, non secus ac intelligere nequit peregrinâ linguâ loquentem, nisi ejusdem idiomatis gnarus.

Sed visamus jam & CAUSARUM reliquarum REMOTIORUM nexum, quomodo his positis ad insomniorum *γένεσιν* concurrant. Cum itaque pro modulo sanguinis aliorumque humorum gignantur & varient insomnia, claret facere huc ÆTATEM ipsam. Alia sunt infantibus, alia adolescentibus, alia viris & senibus insomnia, tum in se, tum respectu aliarum causarum concurrentium. Ita infantes faciliè expavescunt insomno, reliqui non item. Idem valet de SEXU quoque, de HABITU CORPORIS, & quod non minus huc referendum est, VITÆ GENERE. Ita sua scæminæ præ viris habent insomnia, quod & humidiores sint & delicatiores, ac flexiles magis habeant spiritus. Et singula hæc non modò in naturali statu, verum & in præternaturali variando obtinent lo-  
cum.



cum. Sic qui densiori sunt corporis habitû, & ad suffocationes magis proni, sua etiam ex hoc capite experiuntur infomnia. Tractant fabrilia fabri & in somno.

Præcipuè verò ad infomnia disponit **TEMPERAMENTUM**, ita quidem, ut & modus hic sanguinis ex somniis eluceat, & ἀκρασία, seu status mutatus. Ita sanguinei somnia læta magis patiuntur, cholericici de igne, phlegmatici de aquâ, lusus nocturnos habent, melancholici de tristibus, de dæmone, inferno & aliis somniant magis. Adeoque hi potissimum terrificis, inquietis, turbulentis agitantur infomniis.

Liceat ergò hîc locare somnia *naturalia*, quæ ex causis his & aliis naturalibus oriuntur; naturalia ab extra, simulachra seu olim seu per diem gestorum, visorum & per sensuum portam ingressorum; naturalia ab intra, & in sanis potissimum toto die, quamvis quadantenus etiam in ægris visenda, ex humorum diversâ dispositione. Altera ab his sunt *media*, ex rebus nonnaturalibus oriunda, media inter utraque, naturalia & præternaturalia, de quibus jam dicendum venit.

Enimvero & **CAUSÆ NONNATURALES** infomniorum fomenta suggerunt amplissima. **AER** non uno pacto id præstat. Non solum enim calidus vel frigidus, actuque humidus, alterans corpus vel partes ejusdem, objecti vicem obit, unde enascitur idea consimilis; verum etiam longè subtilius ætheris lationes aliàs insensibiles per somnia se exerunt. Sanè præter alias causas plures frequentius infomnia, objecto ex hoc fonte oriundo, fiunt, διότι ἐκ τῆς αἰθέρος εἰς τὸν ἀνθρώπον κατελθόν ὅτι, quia ex æthere in hominem descendit. Estque hæc quoque ἐξωθεν ἐπαγωγή, illatio ab extra.

Maxima enim est vis ætheris in alterandâ lymphâ, & consequenter spiritibus, dormientibus sæpe observata, quod vigilantibus non datum est. Non possumus, quin integrum locum *Car. Pisonis* hanc in rem citemus, alibi jam



Jam nobis laudatum, ex *l. de morb. ex serof. colluv. f. 2. p. 92* Serum, inquit, in toto habitu à perturbatione ambientis quomodocunque eveniente commoveri satis posse indicant fluxiones omnis generis, prænunciæ mutationum tempestatum, mox futurarum, & speciatim feminis excretio involuntaria per ἐξορροῦν, quæ in cælibem vitam agentibus est certissima prænuncia mutationis è serenitate in uvidam & pluviosam, quanquam post viginti circiter horas futuræ. Idem tenendum est de epilepsiâ nocturnâ, quæ à lunationibus diversis ortum trahit, & insomniis terrificis præviis corpus incutit, imò & de lunaticis somnambulis.

CIBI & POTUS in insomniis citandis & variandis non minima potestas est, seu quantitatem spectes, seu qualitatem & utendi modum. Exemplo sit ebrietas, inde enim, verbis *Plinii l. 14. c. 22.* furiales somni & inquieties nocturna. Ebrii quidem majori gradu minus somniant, obscuratis & confusis ideis, quæ obvenire possent, à sulphure narcotico inebriaminum; attamen quatenus πλησμονὴν infert & potus largior, eatenus & somniis largitur materiam.

Flatulenta sanè alimenta somnos & insomnia turbulenta citant, qualia sunt fabæ, Pythagoræ hinc à mensis abesse jussæ, teste *Laertio in ejus vitâ, l. 8. p. m. 222.* Quamvis enim disceptent, nec convenient inter se interpretes, quænam fuerit ratio, nihilominus repetenda est illa sine dubio è scholis medicis. Alunt fabæ, teste *Coo loco elegantissimo l. 2. de diat. c. 13. t. 1.* sed obstruunt & inflant, unde cum pori non possint suscipere τὴν ἄλλην ὀπῆσαν τροφὴν, aliud successivum alimentum, quæ verba sunt ejusdem, causant ἀπὸ κρείων quandam somnificam. Idem dictum esto de castaneis. Qui scire cupit, quid sit incubus, is ante somnium comedat castaneas, & superbibat vinum seculentum, adde & cerevisiam recentem seculentam, quod dicitur apud *Hildeshemium spicil. 4. de aff. cap.*



p. 434. & intelligendum est de dispositis, in aliis enim cardialgia colica aliaque similia inde consurgere possunt.

Pertinent verò huc & alia ciborum & medicamento-  
rum genera, quæ dum resolvuntur, & ad vitales cameras  
intro admittuntur, alia spumescentē reddunt magis san-  
guinem & lympham, uti mel, & sale volatili foeta, nastur-  
tium, cochlearia, ἐξορρωγμὸν exhibent; alia spiritus co-  
gunt & ligant magis, ut opiata, alia efferant & exaltant,  
alia aliis modis concurrunt, variante effectū etiam pro  
temperamentorum diversitate. Mirum est, quendam  
assumpto dentis apri præparati pulvere de apro somni-  
um expertum, quod tamen per accidens, vel alio ex capite  
conferri potuit Minus enim apta est phantasia, ut assequi  
possit interius typum animalis ex parte aliquâ, quæ exuit  
vitam dudum. Laudari non minus possunt unguenta &  
interius assumpta, veneficis usitata, nisi malimus à  
superiori potius causâ ideas illas phantasticas derivare.

SOMNUM ad citanda insomnia facere primâ fronte vi-  
deri posset ἀποπν, vel laudare hanc causam frustraneum,  
& id tamen omnino non est de nihilo. Exemplo sit de-  
cubitus supinus, qui non solummodo incubum & pol-  
lutionem nocturam invitat solenniter; verum etiam  
apoplexiam, & somnia turbulenta, terrificam & suffocativa.  
Positus enim hic, quoad corpus, sanguini in vasis mayo-  
ribus incalescentiam, pro lectorum nostrorum modulo  
inprimis, conciliat facilè, unde per ramos arteriosos ad  
genitalia abeuntes, delatus, non abluentibus nervis ipsis,  
poros dilatat magis, & ὀργασμὸν semini conciliat, ut so-  
mnium venereum concipiatur, indeque excretio. Imò  
nec venereæ ideæ semper obveniunt eadem, sed latius  
sumptæ, & aliæ licet, eventu tamen originem hanc seu  
objectum genuinum ostendunt. Positus verò idem, quo-  
ad caput, si declivius supinetur, contrarius evadit perio-  
do lymphæ, quæ cum è poris eluctari hinc minus queat,  
ad eosdem affectus, ipsamque apoplexiam maximè fa-  
cit.



cit. Ita & impensius sub somni initium cogitata, quibus ille supervenit, facilius in somno recurrunt, & velut perpetuantur.

De VIGILIIS non attinet plura repetere, satis est apparari vigilias has phantasiæ per diurnas vigilias, à libertate & *ἐνεργεία* spirituum fotas. Accidunt autem casus non rari, ubi quæ somniavimus, dubitamus an vigilantibus obtigerint, an dormientibus:

Nec dubitandum est, MOTUM & QUIETEM in somniis conciliandis accommoda esse, cum & ipsa ad lymphæ & spirituum alterationem non parum conferant. Ita qui per diem fortius exercuere corpus, inde spumefcente itidem fero & femine haud rarò somnia nanciſcuntur huic objecto conformia. Sed qui otio torpent, & huius stagnationis sentiunt in somno vestigia.

Sic & quæcunque excretionem sui urgent, illa in somno phantasiæ suggerunt ideas modò symbolicas, modò alias. Quibus vesica repleta est per somnum, mingere se somniant toto die, neque id tamen faciunt, nisi ubi per ætatem nondum idea contraria phantasiæ inſculpta est, quæ & in somno accuratè illam retinet. Videas infantes, etiam tenellos, à sollicità adſuetudine maturè dediscere mictionem in lectum. Non negamus interim, etiam ex aliis causis illud oriri solere. Quibus ad alvum exonerandam occurrit in somno stimulus, repræsentatur idem etiam in somnio. Imò & sub mensium recursum, vel hæmorrhoidum, alias atque alias hinc ideas occurrere in aprico est. Ex his & reliqua possunt colligi retentorum genera, sive in capite, seu pectore, seu alibi se offerant eminentius.

Denique & ANIMI PATHEMATATA alleſtant inſomnia, & quam maximè illustrant. Ira, curæ, mœror, tristitia, amor, spes, & alia affectuum genera prout in mente suos habent jam inſculptos typos, ita & in somnio illos recolunt & referunt. Hinc *Hercules furens* apud *Senecam* fingitur fusus humi sæva feroci corde volutare somnia.



Veluti enim maris fluctus, ventorum turbine agitati, non statim subsident, etiam si quietem illi concedere videantur non amplius urgentes, & motus potius componere fluctus; Ad eundem modum non ita confestim demulcet & placat somnus turbatos spiritus, quin superent imagines illæ & obveniant volvanturque denuò in animo.

Et hæc dici possunt infomnia *nonnaturalia*, sanis & ægris communia, ex nonnaturali tali causâ & occasione enata, ut jam innuimus, & reliqua modificantia magis pro diversâ alteratione spirituum ac humorum.

CAUSÆ PRÆTERNATURALES & ipsæ suo loco ubertim infomnia excudunt, siquidem morbi, causæ morbificæ & symptomata plurimum huc conferunt. Cum enim & hæc κατ' ἐξοχήν variè alterent humores, hi verò obsectorum vicem suscipiant, inde non minus determinari spiritus ad formandas ideas ac imagines efficitur. Sic morbi *intemperiei* huc faciunt, nominatim febres, somniorum feracissimæ, & tanto quidem magis, quanto calor magis efferatus est, minusque freno suo, lymphâ, refractus. Motis enim fortius humoribus, motis & turbatis spiritibus, phantasmata mille occupant cerebrum. Cum primis verò confusanea & ignea simulachra caloris modum dicunt, lymphæ defectus potum hauriri fingit, quo ipso etiam veris falsa miscentur, & innuitur quid exoptet archeus.

Morbi quoque *conformationis* & *solutæ unitatis* somnia ministrant. De obstructione jam quædam tetigimus, & exemplum instar omnium præbet *incubus*, ab intentatâ obstructione pororum cerebralium, & nervorum vocalium, ficto phantasmate incumbentis pectori canis vel alterius. Quando, verbis *Virgilii l. 12. Æneid.*

... In somnis, oculos ubi languida preffit  
Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus  
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri  
Succidimus: non lingua valet, nec corpore nota  
Sufficiunt vires, nec vox, nec verba sequuntur.



Et omninò obstructions etiam aliæ, hypochondriorum, intestinorum, mesenterii, narium, faucium, pectoris, undecunque factæ, maximè somnia variant. Inflammatio ipsa partium cum *αἷσι* tali conjuncta infomnio materiam præbet aliquando. Visus sibi in somno prunâ candente uri in pede evigilans inflammationem sentit ibidem gravissimam. Qui vulnus gestant in parte quâdam, vel fracturam, & hoc ex fonte somnia experiuntur hausta.

Ex *causis morbisicis* p. n. duo cum primis huc faciunt, vermes & calculi. Hinc somnia turbulenta & *Φόβοι*, *pavores*, inter alia in infantibus, cæteroqui sanis, signa sunt lumbricorum. De somnio calculo laborantis, ipsumque per phantasma venereum ejicientis audiamus *Tullium*: Dicitur quidam, *ait*, cum in somnis complexu venereo jungeretur, calculos ejecisse. Video sympathiam; visum est enim tale objectum dormienti, ut id, quod evenit, naturæ vis, non opinio erroris effecerit. *l. 2. de divin. c. 69.* Exemplum hoc est, quomodo quid pro quo, ut cum vulgo loquar, seu aliud pro alio concipiat phantasia: id quod etiam tum in aliis, tum in pollutionibus nocturnis, præsertim in consuetis, contingit.

Spectant huc symptomata non pauca, tum communia, ut dolores capitis, & partium aliarum, tum propria in primis somno. Ita, præter jam laudatum incubum & pollutionem nocturnam in utroque sexu, *οἱ δὲ τῶν ὑπνῶν Φόβοι*, *pavores in somnis* noti sunt, quamvis & citra infomnia eveniant, peiori statu in febribus, innoxii in primo somno sanorum vel hypochondriacorum. Nec solum somnia inquieta spasmodica, sed etiam ipsa epilepsia nocturna exercere solet dispositos, imò solo in somno accidere aliquando, qualia exempla notavimus, non item in vigiliis & interdiu.

Sunt sua & *delirantium* infomnia, tam actu jam talium, quàm futurorum. Cum enim maximè irrequieti illorum



illorum sint spiritus, & perpetuo agitentur ideis, modò certis solum ac potissimum, ægrius exterminandis, modò vagis & variis præ aliis exercentur, adeò quidem, ut parcissimè dormiant, idque si fecerint, mox sollicitentur obviis illis eximiè, & expergesiant ocyus, velut totidem importunis monitoribus.

Memorari hic debet *Φροντις* seu *cum*, morbus difficilis, *Hippocrati* ita dictus *l. 2. de morb. c. 70. t. 1. f.* est verò nihil aliud, quàm melancholia. Expavescunt tales ægri & terri culamenta ac somnia horrenda vident, & quandoque etiam mortuos.

Parilem in modum & *icterici*, ut hos in exemplum vocemus, & *fluxibus alvi* aliisve laborantes, vel defluxionibus gravioribus, vel præcordialibus affectibus, sua possident insomnia. Fœmina mediæ ætatis, diu multumque conquesta de dolore præcordiorum, circa scrobiculum cordis & in dorso se exerente, inter alia crebra insomnia patiebatur, non sine subitaneo sæpè clamore.

Ut summatim dicam, quales morbi, talia insomnia, maxime verò insigniora, quæ hinc *præternaturalium* nomine meritò veniunt, & læsis actionibus, & easdem vicissim non uno modo lædentes. Quæ enim & noctu malè habent corpus, sentit, examinat & repræsentat sibi sub variis ideis & figmentis phantasia.

Nullum verò insignius specimen huc quadrat, quàm quod *somnambuli* vel noctambuli dicti exhibent, majoris & minoris gradus, *πλάνοι καὶ ἀναβάσεις ἐκ φαντασμάτων*, oberrationes & ascensus ex insomniis, uti vocat *Cous l. de insf c. 20. t. 4.* Oblatâ enim tali ideâ fortius agente, impellitur vehementius phantasia, ab hâc. tanquam re-  
ctore machinæ peregrino, insurgente impelluntur artus, ut inhærentes & involuti suo phantasmati assurgant, confideant, hæc & illa etiam miranda sæpe nec imitanda perpetrent, obsequentibus spiritibus, & in hoc unicè occupatis detentisque, quoad reliqua nihilominus ligatis;  
C 3 quam



quam brevissimam pathologiam vel levius delibasse sufficiat.

Restat, ut de causis SUPERNATURALIBUS dicamus, quæ non infrequenter insomnia suggerunt ac efficiunt. Nec obstat, illa aliàs primo loco inter remotiores recenferi, ordine enim naturæ procedendo potiori jure huc referendæ videntur. Hujus generis sunt, propriè quidem dicta, *Θεία ἐνύπνια*, divina insomnia, quæ per *χρηματισμὸν*, admonitionem, manifestationem fiunt, quæ *πρόφηταις* τινὰ συμ-  
*βόλαια*, quedam eventura præsignificant, aut urbibus, aut privato populo, citra ipsorum erratum, unde ea consequi necessario oporteat, uti quisque est suæ fortunæ faber. Suntque hæc propria magis animæ, eaque semper bona & ad bonum tendunt finem, sive à Deo ipso exhibeantur, sive ab Angelis bonis: ut impropriè supernaturalia dicta, diabolica, semper mala, utut primâ fronte talia non visa.

Liceat huc applicare illud Tullii l. i. de divinat. c. 23. p. m. 183. edit. Gruter. Est profectò quiddam etiam in Barbaris gentibus præsentiens atque divinans; qui ibidem à capite vigesimo pluribus ex ordine sequentibus exempla talia insignia recenset, instar omnium habenda. Imò & ejusdem recensione, ad hanc classem referri queunt, quæ animus ipse per sese prævidet, quippe qui Deorum cognitione teneatur; aut saltim, quæ mens immortalis subtiliora hoc pacto invenit & speculatur, ipsi aliàs ferè dene-gata.

Pertinent huc somnia ominosa, tam *ἐναργῆς*, conspicua & clara, quàm ænigmatica, futuri inprimis prænuntia. Et talia monita divina etiamnum hodiè contingunt, (quorsum enim aliàs vel atheus illa retulerit?) modò quis attendat curatius, & cum eventu eadem conferat. Ut unum saltim memoremus, M DC LXXXIV. mane surgenti velut insomnia suggeritur phantasma viro XXXIX. annorum, se intra sex menses moriturum. Re-  
censet



cenſet ſomnium familiæ, Deo vitæ autori voluntatem ſuam reſignat, diem ſtudio oblivioni tradit, ſatius ducens quotidie mori, ut Chriſtianum decet, & nunquam mori, qui ſemper moritur. Elapſo fatali termino iter ex officio demandatum faciens, rhedâ vectus, ex errore aurigæ, excuſſis habenis furori quadrupedantium equorum commiſſus, ut præſens periculum evitaret, prius, quam vertigine correptus excideret, præcipiti ſaltu ſe curru dejicit. In caput alliſus, ſuccurrente quidem nivis mollitie, concuſſis fortiter dentibus, quibusdam etiam diffractis, maximè verò cerebro, mox omnem ferè ſenſum exuit, ſalvo motu. Oculis uſurpat cælum & obvias arbores, quiſ ſit, neſcit, unde venerit, quo tendat, non recordatur, brevi tamen poſt ſibi redditur. Quod majus eſt, interim illo loco, quò ibat, & vicinis, anticipans velut fama paſſim, nunciaverat, eundem mortuum, ut mirari non ſatis poſſent qui conjunctim hæc inaudirent. Tacemus alia ſimilia.

## CAPUT III.

De

*Semioticâ Inſomniorum.*

**I**Nſomnia eſſe *σημαντικά*, *ſignificantia*, vulgatiſſima eſt perſuaſio, & id quidem ſenſu genuino medico non eſt de nihilo, ſed omninò veriſſimum.

Signa hæc in Diagnostica & Prognostica dividere liceat, ſeu (quæ diſtinctio aliàs apud Astrologos occurrit,) in ſignificantia & promittentia, quæ ſomnia ipſa, & judicium inde formandum concernunt. Somnia ipſa modò ſoliloquia ſunt animæ, & occulta, ſine arbitro ſe exerentia, quæ ipſe patiens & conſcius retulerit: modò manifeſta, & voce, ſermone, geſtibus, ſudoribus, motu membrorum vel totius corporis aliisq; expreſſa. Et quo magis ſunt talia, eò vel anxietatem majorem habent:



bent conjunctam, vel fortius saltim laborantes spiritus arguunt. Imò certis casibus quoque maculæ lividæ in corpore, vel artubus, mane altero se offerunt, quod in incubo affectis non infrequens est, *Ἀππῆλκτε* vocant, certo indicio sanguinis *παίσεως*, & circuli in poris sub istâ anhelosâ anxietate impediti.

Hinc nemo vel ex vulgo nescit, si quies nocturna turbetur, & repentinâ vociferatione, risu, loquelâ, jactatione corporis distinguatur, dormientes hos infomnia pati, etiam si vel ipsimet aliquando ejus non recordentur, quos talia pati observabamus. Sed minor difficultas est circa infomnia quoad τὸ ὄν, cum ad unguem ut plurimum enarrare eadem norint, major quoad prognosin, seu prædictionem & effata de insomniis.

Quantum nostri est fori, non multū operæ ponemus in onirocriticâ, seu expositione somniorū, quam & olim jam excoluere Chaldaei, Arabes, ac, primo loco nominandi, Ægyptii, & supersunt ab illis forte oriunda præcepta, qualia & vulgo observantur, incerta tamen ferè & fallacia. Tale est, si dentes excidant, morituros agnatos: si perlæ obveniant, lachrymas intelligi, & hujus generis alia.

Fundamentum principale, superius jam tactum, est similitudo & convenientia, ut ex ideis oblati, in mente agitati & repræsentati, *στοχασμῶ* licito argutemur partim de facti somni signato; partim de objecto, quod ansam illis ideis præbuit nocturno illo tempore. Alia itaque est semiotica hæc somniorum medica, quàm vulgaris illa, quippe sollicita de subjecto, de causis, de remediis ipsis, ut impendantur hæc præfagia & judicia ad corporis medelam, secus ac empiricæ illæ prædictiones, citra rationem evolutæ, de quibus verissimum est assertum *Poetæ*: *ὅδ' ἐπὶ πάντα τελείεται ἀνθρώποισι*, neque quidem omnia perficiuntur, vel adimplentur, hominibus.

Res itaque eo redit potissimum, ut somnia olim, vel recens & seriò cogitata exhibeant, & quales meditationes præces-



præcesserint, talia sint insomnia, atque de illis & circa illa, etiamsi ludicra observentur; vel citra illa, occasione obiectorum ex corpore ipso enatorum, formentur.

Et ludicra quidem illa aliaque consimilis farinæ negligenda ac nauci habenda, si moralitatem eorundem spectemus. Recte enim *Ecclesiasticus* c. 34. v. 1. *seqq.*: somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit umbram & persequitur ventum: sic & qui attendit ad visa mendacia. Hoc secundum hoc visio somniorum: ante faciem hominis similitudo hominis. Nihilominus tamen nec illa medicis nihil præbent signaculi. Insomnia enim τὰς ἡμετέρας πράξεις diurnas actiones offerentia, eo modo quo actæ sunt, bona sunt & sanitatem significant, teste *Cool.* c. 3. l. 1. f. Notant enim æquabilem statum tum spirituum, continuatâ cogitatione in quâ occupata mens fuerat; tum humorum, illa minus turbantium, ut liberè sibi vacare possit. Sin velut pugna quædam & contraria somnia diurnis actionibus oboriantur, id verò turbationem notat, de quo latius ipse textus videri meretur.

Hinc fundamentum alterum, cum omni prognosi medicâ commune fluit: Quæcunque somnia statui naturali vel per se, vel per bonam consequentiam, sunt similia magis ac propiora, sunt numeranda in bonis; quæ remotiora, ea minus, quatenus vel excessum, vel defectum, vel aliud quid incongruum sanitati ac statui naturali, sive in corpore hærens, sive ἐξωθεν forinsecus inductum, denotat.

Liceat verò & hîc fundamenti ulterioris loco adducere illud chemicorum cognoscendi principium: Quicquid est in macrocosmo, illud etiam est in microcosmo; & speciatim hoc loco in notione insomniorum analogia & similitudo utriusque mundi sano sensu applicari potest. Cum enim ideæ hæ se habeant instar literarum, quibus describuntur & exprimuntur conceptus mentis.



& literarum quidem mysticarum, quarum una, velut apud Sinas consuevit, integram rem notat; Cum sint conceptus muti sæpè à priori, & magis per signa, quàm verba, magis emblematicè quàm nudo aliquo effato enuncientur & in memoriæ thesaurum hinc veniant; hinc solis, astrorum, elementorum, terræ, aquæ, ignis, aëris & similibus lemmate per somnia suggeruntur.

Videtur sanè ex Hippocraticâ hâc philosophiâ non parum illustrari & confirmari illa analogia & hoc loco, quatenus soli medietatem corporis assignat, seu cor & sanguinis statum, lunæ cavitates, seu serum & hujus præsidem non infimum cerebrum; à cavitatibus enim illis sanguis excluditur, lymphæ admittitur magis.

Ex his & superius dictis tanquam porisma fluit: Somnia signant statum spirituum humorum, & adæquatè hinc partium solidarum, & quidem vel explicitè magis, vel implicitè, & per quandam metaphoram vel allegoriam. Signant, quoad essentiâ, quomodo spiritus v. g. sanguis & serum affecta sint; non minus ac quoad essendi modum, in quantitate, qualitate & motu, unâ quoque respectu habito status ipsius individui, an sanus sit, an æger, quali temperie præditus, ut vitæ genus, & plura alia non libemus, in summis capitibus laudandis contenti.

Sic qui rarius somniant, si id hinc fiat, morbum, vel mortem etiam aliquando id significat. Sic morbos imminentes somnia insolita præfagiunt, quatenus *πλησμονήν ἢ κένωσιν, ὑπερβολὴν τῶν συμφύτων, ἢ μεταβολὴν τῶν ἀνηθέων*, copiam vel defectum, excessum consuetorum, vel mutationem inconsuetorum anima præsentiens sic significat. Prænunciant febres, deliria, convulsiones, per se & in febribus, apoplexiam, & indefinitè alios. Patefaciunt causam morborum, per dicta.

In genere si statui naturali suo conformia sint obvia, v. g. Sol, astra, cælum, pura, & agilia, aliaque proportio-



tionata, bonum est signum, & contra. Alba, lucida, serena visa bonum statum humorum notant, ignea excessum bilis & particularum sulphurearum. Turbulenta insomnia & terrifica turbationem, inquietudinem, irritationem spirituum. Quod si pugnae, hostes armati & *negra ἀλλόμορφα* monstra formae peregrinae fistantur, in sanis id morbum, aut insaniam, cum primis in febribus, significant. Nigra & obscura obvenientia magis morbosa, acidi, austeri, luculae vitalis turbatae indicio. Pluvia moderata per somnum illabi visa, citra tempestatem, moderatum humidum; major, vel natatus ipse, & flumina, exuperans idem notat: in febricitantibus verò id bonum est. Plurima verò talia nunquam satis laudandus *Cous* per totum librum de insomniis abundè refert, quæ ut huc transcribantur singula non opus est.

Referri huc & alia possunt, circa somniorum præsagia. Sæpius recurrentia somnia eo certius signant id, quod innuunt. Insomnia in febricitantibus & aliàs, pro talibus agnita, benè se habere rationem, argumento sunt; minus, si contra acciderit. Somnia ominosa nunquam negligenda. Adeoque etiam ex insomniis divinare licet medico, sed prudenter & providè, ne fallatur.

## CAPUT IV.

De

*Therapia insomniorum.*

**C**um itaque & insomnia sæpè numero molestant corpus, & ut signum, & ut causa in considerationem medicam veniant, non uno modo etiam horum occasione & intuitu corpus curandum est. Enimverò non solum ipsis insomniis morbofis, καὶ ἐξοχὴν talibus, directè magis & principaliter succurrendum est; sed etiam reliqua non negligenda sunt penitus, & in curatione aliorum, & per se quoque attendenda, quod brevibus libabimus.



Primaria hinc sine dubio intentio esse debet, ut spirituum ac humorum vitalium temperies sibi restituatur, alterando, serenando, & demulcendo. Altera, ut minera, objecti vice fungens, corrigatur, depleatur, aboleatur, sicque præcaveatur eorundem proventus, vel ad frugem saltem & statum naturali magis conformem redigatur. Tertia, ut speciali labi hinc illic in corpore, seu signanti, seu signatæ, succuratur, ne quid detrimenti capiat respublica microcosmica.

Operæ pretium fuerit lustrare, quæ materiæ præsidiorum ex usitatis fontibus huc quadrent. Ex CHIRURGIA, si præsens plethora ad vasa, sanguine magis oneroso, adsit, VENÆSECTIO ipsa non est de nihilo; si in poris extimis eadem gravet, etiam CUCURBITULIS locus est. A deplentibus enim remediis hisce, quod cum aliis commune habent, levius se ipso redditur corpus, & pacatius suis rivis decurrunt sanguinis fluentia, ex quibus turbatis spiritibus non una labes affricatur. Manifestum huius rei exemplum occurrit in maniacis, melancholicis, febricitantibus, epilepticis, & aliis.

Est etiam sua virtus cucurbitularum siccarum in dissipandis halituosis moleculis, in circumferentiâ habitus corporis restituantibus, si dorso, scapulis, brachiis & femoribus applicentur, seu seorsim, seu subsequâ hinc scarificatione. In longis aliis malis serosis FONTICULI etiam, in acutis magis VESICATORIA conveniunt, quorum verbo meminisse suffecerit.

Ast ut infimus venter mineram plurimorum malorum fovet & secum continet, ita ad insomnia averruncanda vel alteranda magnum momentum addunt *evacuantia* cacochymiam omnis generis, leniora & fortiora. Conduxerint hanc in rem *pilule lenientes, antitartareæ, marocostine, de succino Craton. splen. t. Sylv. extr. panchymag. &c.* Infantibus insomniis vexatis non semel profuit *pulv. laxat. vegetab. c. cinnab. & clysteres absterfivi*, qui & in adultis



dultis non unis casibus conveniunt, nominatim ubi in febribus continuis insomnia symptomatum graviorum sunt prodromi. Mittimus purgantia alia, ipsaque *belleborata*, in siccioribus & fortioribus in infuso cum aliis appropriatis danda, *lap. lazuli* præparatum, aliis itidem junctum, & alia, in feri impuritatibus majoribus &c.

Quin & EMETICIS exturbari commodè possunt contenta in primis viis turbativa, excutientia bilem, pituitam, & alia peregrina, ex præcordiis in superiorem culinam virus suum exhalantia, concinnis & usitatis vomitoriis sic debellenda. Idem dictum esto de DIAPHORETICIS ac DIURETICIS, quæ superfluos, inquinatos & subsistentes humores in motum citant, displodunt, evacuant, & massam sanguineam pariter ac spiritus in libertatem suam vendicant, quæ aliunde satis nota sunt & huc repetenda.

ALTERANTIA colophonem addunt, universalibus ἀσπερσινῶς istis interpolanda vel subjungenda. Ut ut verò non unius generis huc referri possint ex horum loculis remedia; potissimum tamen, pro diversis indicationibus varianda, laudari mereantur (1.) *aperientia* & *anthypochondriaca*, vegetabilia, & alia, & ea, salina, incisoria, & resolventia, *R. & Jis* non una, sed vel decies varianda, & usibus diversis debita, *R. aperitiva, elixir antiscorbuticum, decocta aperitiva, essentia Cii* &c.

(2) *Refrigerantia* & lympham contemperantia, restituentia, diluentia, refrænantia, concentrantia, ex potionibus refrigerantibus, emulsionibus, *hepatico rubro*, quod in pollutionibus avertendis est egregium, *spec. diarhod. Abbat. diatr sand. matre perlar. perlis* ipsis, earumque magisterio, quæ in exempli vicem nominasse sufficiat.

(3) *Confortantia*, & hæc quidem in primis cephalica, cordialia & nervina. Quamvis enim & stomachica non parum conferant ad restaurandam culinam publicam, cui cum capite summus symbolismus intercedit; ea tamen studio omittimus, tanquam magis communia, ali-



unde itidem huc referenda facilè. Et confortantia quidem maximè temperatiora sulphure suo blando puroque spiritus serenantia, & præcipitantia adversos humores, qualia sunt *cinnabarina, corallia, lap. quinque pretiosi*, separatim & conjunctim, *pulv. epil. March. succin. alb. ppt. specif. cephal. conf. alkerin. ☉ potabile, eff. lign. aloes, mari ver. elix. cepb. Ra corallior. & alia.*

(4) *Anodyna & sedativa*, per se aliquando & cum aliis specificis mixta. Hæc enim genuinum sunt nepenthes, quæ spiritus placant, fibras nerveas crispatas & vellicatas demulcent, & suavem conciliant universo corpori quietem; v. g. *eff. anod. extr. anod. f. & comp. diascord. Fracast.* Faciunt huc *laudana* illa cum confortantibus composita quæ alias simplicitate suâ se magis commendant.

Nec de nihilo planè sunt EXTERNA amuleta, quæ ex dictâ jam ratione admitti queunt, quatenus & suo loco alterant lympham & spiritus, uti de *coralliis, succino, ligno rhodine, sapphiro, smaragdo*, & aliis gemmis id sano sensu verum est.

DIÆTA tandem ipsa colophonem addit. Cum enim vivendi ratio multum conferat, ut animus in varia visa incidat, magno opere studendum est, ut hæc observetur ad leges sanitatis. AER sit temperatus, alterandus in frigidum & calidum, prout ex usu esse corpori colligitur. VICTUS tenuis convenit in repletionem & abundantiam humorum; plenior & firmior, ubi reparandi sunt spiritus. Vinum est curarum remedium, & nepenthes alterum alimentarium. Vitentur flatulenta, grossiora, fabæ, lentesc, viscida minusque salubria.

SOMNUS sufficiens, QUIES & OTIUM exhaustis conducit; MOTUS, labores & exercitia corporis ex usu sunt ad digerendos & promovendos inertes humores. EXCRETA redigantur ad moderationis mensuram. VENUS licita commodissimum ἐξουσιώγιμὸν remedium. BALNEA, capitiluvia & pediluvia, debite in usum tracta, placidam



cidam invitant quietem. ANIMUS curis vacuus somni quieti capax, risu, jocis, jucundâque conversatione demulceatur.

Breviter, juxta *Platonis* jussum, sic ad somnum proficiscendum est, salubri & moderato cultu atque victu quieti se tradendo, ut nihil sit, quod errorem animis, perturbationemque afferat. Nec preces omittendæ, ut *Hippocrates* piè admodum monet, nos verò Christiano more melius longè novimus, cui supplicandum sit, modò id melius fecerimus.

SOLI DEO TRIUNI GLORIA!

---

V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo & Excellentissimo,*

D. PETRO ROMMELIO,  
Archiatro Ulmensi celeberrimo,

S. P. D.

GEORGIUS WOLFFGANGUS WEDELIUS.

**P** Ace tuâ compellendus mihi venis, Vir Excellentissime, qui nutu Tuo ad filium per-scripto occasionem scribendi de insomniis dedisti. Dudum hoc argumentum visum mihi est non ignobile, unaque gravissimum, dignum, quod eruatur penitus.

Potuisset hoc tractatus formâ conscribi, quâ si extaret, ut seculi perversus fert mos, forsan magis se commendaverit. Mihi tamen satis fuit placuisse Tibi propositum thema, ut & mihi satisfacerem, in excutiendis



endis datâ operâ his arcanis, aut levius potius & superficialiè delibandis; & filium Tuum carissimum simul hoc exercitamento manuducerem ad altiora, ac si, ut non dubito, faveas, ad sinceros omnis sapientiæ fontes.

Perinde enim est, num levidensi filo nostro hæc ducta suscipere digneris, an commentarii loco habere libri de insomniis divini Hippocratis. Neque enim opus fuit *κτ. πίδα* sequi lineas textus, qui in gradu secundo Philosophiæ ponere soleo non occupari in his talibus. Exhaustire sensum & veritatem, sicque proficere ulterius & discere ab hoc magistro, nemo fuerit, qui invideat.

Fateor non pauca potuisse addi, præsertim, ut alia mittam, de somniorum usu ad inventionem medicamentorum, de incubatione in fanis Deorum, & præ aliis Æsculapii, quod *Meibomius* noster, Academiæ Juliæ decus, accuratè pertractavit. Nec defuerit illa illustrandi materia, vel *Aristophanis* processu, in *Pluto* memorato, in subsidium vocato. Sed abstinendum fuit in præsentiarum, ob negotiorum cumulum, & ne ultra oleas vagaremur.

Cœterum qui mecum hæc publico exponit, Paterno Tuo amoris ulterius commendo, laudans conatus optimos, & strenuum in artis cursu progressum, gratulans item animitus de virtutum Tuarum æmulo successore, utrique vestrum non defuturus officiis, quæ quidem à meâ tenuitate poterunt expectari. Servet Te  
Deus! Dab. in Athenæo Salano M DC XC.

D. XII. Decembr.

F I N I S.